ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO D. D.

NICOLAO E COM. FRANGIPANE

EQUITI TORQUATO FR. JOSEPHI AUSTRIÆ IMP. P. F. A.

OB MERITORUM COPIAM

AC VITÆ INTEGRITATEM

EPISCOPATU CONCORDIENSI INSIGNITO

DOMINICA LÆTARE

ANNI A. P. V. MDCCCLXVI

DIŒCESIS CURAM

Inter universorum plausus

SOLEMNITER AUSPICANTI

UTINI, 1866
TYP. JACOB & COLMEGNA

Illustrissimo Reverendissimo D. D.!

Perinsignis Ecclesiæ Concordiensis procurationem te, Illustrissime Reverendissime D. D., feliciter exordiente, singulari animus noster lætitia permulcetur. Tu enim et patriam, quam laudabilium operum nitore, et morum suavitate ac innocentia decorasti, nobiscum communem habes; et diutius in hoc Metropolitano Capitulo, in quo altioris Dignitatis titulo fruebaris, collega noster fuisti. Ut porro intimos amoris, existimationis et obsequii sensus, quibus erga te omnes afficimur, aliqua ratione extrinsecus demonstremus, breve Carmen latinum a confratre nostro (*) *in tui, domusque tuæ laude nuper conscriptum, tibi gratulantes exhibemus. Quod, si amplissimam dignitatem tuam, necnon magnificentiam hodiernæ tuæ solemnitatis inspiciamus, parum esse profecto novimus. Verum propter temporis angustias, non autem ex nostra incuria hoc evenisse credas. Vix enim a pontificio oraculo Concordiensis Antistes fuisti renuntiatus, statuimus antiquam perillustris familiæ tuæ historiam, in Bibliotheca Mar-*

(*) [illegible]

ciana existentem, publici juris facere; ut ex ea pateret non solum generis tui vetusta et clara nobilitas, sed quales etiam et quanti in scientiis, in armis, in sanctitate, atque tum in ecclesiasticis, tum in civilibus dignitatibus te præcesserint præclarissimi et magni nominis viri. Quos inter (ut nonnullos saltem recenseamus) Innocentius III, Gregorius IX, Alexander IV Summi Pontifices; Felix et Gordianus Auicii S. R. E. Cardinales; Archiepiscopi et Episcopi quamplures, quorum unus est Articus insignis tuus in Ecclesia Concordiensi decessor, aliique non pauci, quos velut astra per totum terrarum orbem præfulsisse compertum est. At memoratæ historiæ manuscriptum volumen tam sero accepimus, ut pro opportuno tempore, attenta rerum, quas continet, abundantiam, illud prælo committere impossibile prorsus fuisset.

Quia ergo res, non ut optabamus, evasit, paucos, quos tibi offerimus, flosculos, velut in domestico horto collectos, benigno vultu excipe. Eos, Amplissime Præsul, tibi gratos fore eo magis confidimus, quo magis in nos te benevolum semper comemque experti fuimus, et quo strictiora sunt vincula, quibus tibi devicti sumus, et de quibus nullo non tempore gloriabimur.

Utini, mense Martio, MDCCCLXVI

Capitulum

Metropolitanæ Ecclesiæ Utinensis.

FRANGIPANES

Non ego Pierides, non Phœbi vana precabor
Numina, si tenuem aggredior deducere cantum.
Hæc illos figmenta juvent, queis nulla refulget
Lux fidei, superum Regis mirabile munus.
Tu contra, æterni Genitrix purissima Verbi,
Tu mihi, Diva, fave, memoranti insignia facta
Quæ **Frangipanes** victuro nomine donant.
Et Tu, de illorum præclaro sanguine natus,
Cui modo submissam frontem, **Nicolae,** sacrata
Infula circumdat, pacato hæc suscipe vultu
Carmina, nec renuas hoc nostri pignus amoris.

I.

Aniciorum Familia.

Romulea quondam (sic prisca volumina narrant)
Urbe perillustris florebat Anicia proles,
Cui pater Æneas, nulli pietate secundus,
Et fama belloque potens. Numerosa virorum
Inde exorta manus: quorum pars altera totis
Viribus in pugnas ruit, ingentesque triumphos
Comparat, et lauro victricia tempora cingit:
Altera quos aperit dives sapientia fontes
Quærit adire, et aquas pleno bibit ore fluentes,
Et regere imperio populos, et condere leges
Discit. Sed magis atque magis pars altera pulchro
Lumine splendescit, quæ, donec in orbe colatur
Relligio, celebri per sæcula nomine vivet.

Te prius, Insubræ decus admirabile gentis,
Alloquor, Ambrosî, quo non præstantior alter
Seu populum instruere exemplis, seu pascere verbo
Ut tandem obtineat tecum super astra coronam.

Tu quoque, magne, meas, o, quæso, suscipe laudes,
Gregori! cui summus cœli dominator et orbis
Tergemino voluit diademate cingere frontem:
Maxima te pietas ornat, te multa magistrum
Copia scriptorum prodit, quæ tempus in omne
Ingenii monumenta tui præclara manebunt.

Quid de te, Benedicte, loquar? florente juventa,
Contemptisque opibus, patria discedis ab urbe,
Atque adis umbrosos, Domino suadente, recessus.
Sed numquid latuisse putas? ceu stella refulgens
Virtus, obscuris celari nequit in antris:
Hinc, duce te, dives, pauper, juvenisque senexque
Perpetuam tecum gaudent traducere vitam,
Et tua, Cassinum, celebrata cacumina reddunt.

O decus Umbriadum! o Italicæ non ultima terræ
Gloria, Francisce, an de te mea lingua silebit?
Quamquam oculis hominum tanto splendore coruscas,
Ut nemo valeat meritas tibi reddere laudes.
An sensus humiles memorem, quibus usque fovere
Corda soles? Rigido an confectas vellere pallas,
Et tenuem victum, paupertatemque molestam?
His morum speculum ac veræ pietatis alumnus
Efficeris, multosque vales progignere natos,

Agmine qui facto, neque certa pericla timentes,
Per mare, per terras toto funduntur in orbe,
Et, pulsis procul inscitiæ, errorumque tenebris,
Incipiunt per eos veri splendescere soles.
Haud alios memorabo pari virtute micantes,
Qui, velut astra, suas illustrant lumine terras. [1]

II.

Frangipanes.

Romanum nomen veteri cur perdidit ævo
Gens tua, et unde novum posthac, **Nicolae,** paravit,
Nunc sine demonstrem. Hinc etiam (licet ipse tumentes
Avertas animo sensus) tua gloria crescit.

Ingens per septem Romæ noctesque diesque
(Sic etenim perhibent) alto ruit æthere nimbus.
Jam rapidum Tiberim, vicinaque Tibridis arva
Multiplices undæ quacumque ex parte tegebant;
Quin etiam, aggeribus victis, fortissimus amnis
Exit, et effrænis trepidanti illabitur urbi. [2])
Ut postquam pugnans campo stetit agmen aperto,
Si demum obsessam vincens penetraverit arcem,
Despondent animo victi, lacrymisque subortis
Ora rigant, altis feriunt clamoribus astra,
Vitamque effudisse timent sub vindice ferro;

Cum præter spem vir multa pietate colendus
Surgit, et hostiles mulcet sermonibus iras,
Quem salvatorem cuncti pleno ore salutant:
Tunc Romæ haud aliter. Superatis mœnibus, intrat
Exundans flumen, propriaque occludit in æde
Captivos cives. Heu! quænam eduntur ubique
Voces et fremitus! qualis timor occupat omnes?
Jam jam defecere dapes; famis improba sævit.
Nescius ærumnæ solitas infantulus escas
Postulat a matre; et mater confecta dolore,
Et quasi jam moriens, offert exhausta petenti
Ubera; qui incassum sugit, moriturus ut illa.
Ast miseris tandem non expectata salutis
Hora venit. Medias quisnam se jactat in undas
Allaturus opem tanto in discrimine rerum?
Te novi, generose heros, mitissime Flavi [3])
Qui cymba evectus, tumidum quasi nauta per æquor,
Nunc huc, nunc illuc cursu festinus anhelo
Circumis, et tecum portans cerealia dona,
Corpora languentum recreas vitalibus escis;
Qui secus æterna clausissent lumina nocte.

O opus egregium chartis atque ære notandum!
Quodque per omne notat populus durabile tempus
Cum **Frangipanes** illustris Anicia proles
Decernit concors sit semper deinde vocanda.
Magno equidem facto magni debentur honores.

III.

Domus Marianae Translatio,

Te, si magna licet nobis cantare pusillis,
Te modo, nostrarum spes jucundissima rerum,
Æterni Genitrix Verbi, pia Virgo, canamus;
O nobis facilis cœlorum a sedibus adsis!
Omnipotens postquam descendit ab æthere Numen,
Atque hominem miserans hominis sub imagine vénit,
Non pauca intègrum complerunt sæcula cursum.
Angelus excelso quondam delapsus olympo
Nazareth aerio jussus petit arva volatu,
Mysteriumque altum casta cum Virgine tractat,
Et victor redit ad superos. Felicior illa
Nulla domus; namque omnipotentia verba Puellæ
Audiit, ac multos cœli terræque Creator
Vixit ibi obscurus chara cum Matre per annos.
O tectum augustum! Gentes, pia turba, fideles

Ad te longinquis venient de finibus orbis,
Ingressique fores ardescent pectore sacro
Igne, ferent dona, et lacrymis sua dona rigabunt
Volventes animo insuetum ac mirabile factum.

At ferus immenso stipatus milite ductor, [1])
Sanguinis et cædum cupidus, Galilæa propinquat
Littora! ab hostili sacratam Virginis ædem
Incolumem valeat quis nunc servare furore?
Forsan . . . sed nulla nostræ formidine mentes
Turbentur: siquidem summus Regnator olympi,
Innumeras illuc cernens incedere turbas,
Ad Gabrielem se vertit, sicque ore profatur:

Qui mea, devotis vix immissa auribus, ultro,
Aut cœlos super aut terras, mandata capessis,
Adsis! atque novum, Gabriel, nunc accipe jussum.
Quas olim incolui humana sub veste viator
Electas terras, mihi turba invisa peragrat:
Et, quia perversæ nihil est venerabile genti,
Ausu sacrilego sacram temeraret et ædem,
In qua cœlorum Regina ad luminis oras
Prodiit; in qua ego, mirifice spirante superno
Flamine, mortalis traxi primordia vitæ,
Et mihi concessos egi pauperculus annos;
Nunc age, rumpe moras, sociorumque agmine facto,
Rura Palestinæ pergas, sanctumque scelestis
Tectum subtrahere, atque alio transferre memento;
Quemque legis locus, omnis sit descriminis expers.

Vix ea dicta dedit, Gabriel præpetibus alis
Labitur, et multa Aligerum comitante caterva,
Judæam properat. Juxta se Nazara præbet
Jam jam conspiciendam oculis; jam Virginis almæ
Adstat amica domus, vario fulgentia cultu
Auri atque argenti regum palatia vincens.
Ecce simul (neque egent ferro lignove paratis,
Cum teneant totas mittente a Numine vires)
Aggrediuntur opus cunctis memorabile sæclis.
Ac prius efformant spatium; tum pristina ab imis
Terræ visceribus tecti fundamina tollunt.
Ecce iter arripiunt: dextra lævaque ferentes
Procedunt alii; pars antea, parsque retrorsum,
Parsque supra dulci modulantur carmina voce.
O! felix incede, domus charissima! nec te
Turbent immites venti, nimbique furentes
Donec tranquillam capias tutissima sedem;
Dumque per umbrosas sylvas, per florida prata
Eveheris, cantus volucrum comitetur euntem;
Dum mare percurris, resonent applausibus undæ,
Atque exultantes surgant ad littora pisces.
Est demum perfecta via; atque Liburnia regna
Jam se se objiciunt: hic sarcina sacra quiescet.

Tempus erat vario quando natura colore,
Ceu florens ætate nova, circum omnia pingit.
Jam rex astrorum, vasto se gurgite tollens,
Fundebat roseo radiorum spicula cœlo

Cum domus augusta, Adriacum transvecta per æquor
Angelicis humeris, Thersacti advenerat oras:
Felices oras! o terque quaterque beatam
Thersacti terram! quam nunc pretiosius auro,
Dignumque invidia ditat mirabile munus.
Interea subitus diffunditur undique rumor
Eventus magni. In campis dispersa reliuquunt
Pastores armenta, relinquunt rura coloni,
Et sua tecta alii: curruntque ad littus, et edunt
Lætitiæ plausus, atque oscula dulcia figunt
Vobis, saxa domus charæ, pretiosaque ligna!

Quis vero præ aliis properat? quis gaudia sentit
Majora? aut quis majori pietate movetur?
Est proavus, **Nicolae,** tuus, Nicolaus et ipse. [5])
En venit! atque novi jactatam Fæderis arcam
Submissis genibus palma amplexatur utraque,
Et teneros animi sensus sic exprimit ore:

O dulcis Jesu! dignas pro munere tanto
An tibi sufficiam grates ex corde referre?
Scilicet hac toto nulla est felicior orbe
Regio; namque illam vere ditavit asylus,
In quo terrenæ vixisti tempora vitæ.
Has tu sæpe fores, hæc sæpe cubicula divis
Calcasti pedibus. Quoties hic suavia matris
Basia carpsisti! quoties tu, mater et altor
Dilectus, pariter cœlestibus ignibus acti,
Sacris colloquiis noctuque diuque levastis

Pectora! et æterno cecinistis carmina Patri!
O domus! o mihi præ cunctis venerabile pignus,
« Semper honore meo, semper celebrabere donis! »
Hæc ait ille pius, nec quas e pectore voces
Protulit exultans sparsere per aera venti.
Ocyus augustum jussit de marmore templum
Surgere, quod facti certum per sæcla maneret
Indicium, ut mansit fidei laudabile signum
Illius, exemplumque suo de sanguine natis;
Quos sibi devotos nullo non tempore novit [6])
(Et tu vel superas omnes, **Nicolae,** vel æquas)
Atque hominum atque Dei Mater purissima Virgo.
Hic humilem, et natam parvis insistere rebus,
Depono citharam, Turrique appendo salictis,
Forte resumpturus nunquam. Verum accipe primum,
O **Nicolae,** mei vota exardentia cordis.
Perge alacer quo fata vocant! Tibi desuper adsit,
Protendatque manus cœli Regnator amicas.
Dumque novus magni curam modo Pastor Ovilis
Suscipis, ingentes ex illo collige fructus.
Nostri, quamquam semotus, quamquam instar Aaron
Mundi oculis fulgore micces, quandoque memento;
Atque tuos felix; o, vive diutius annos!

NOTÆ.

1) Ex Romana Aniciorum familia prodierunt etiam S. Georgius Martyr, S. Scholastica Virgo, S. Thomas Aquinas, SS. Martyres Aquilejenses Cantius, Cantianus, Cantianilla et Prothus, aliique non pauci. Vide Cornel. a Lap. Cap. XV. in Apoc.

2) Cf. Baronium et Spondanum ad ann. Christi 717.

3) Flavius Anicius.

4) Kabil, aut Melec Seraf. Saracenorum Imperator. Cf. Moroni, *Dizionario di erudizione ecclesiastica*, Vol. XXXIX, v. **Loreto**.

5) Id ibid.

6) Cf. Librum inscriptum = *Della divozione dei Frangipani a Maria SS.*, Roma 1864.